



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Simeon Salvs Conf. 1. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. SIMEON SALVS CONF. 1. Iulij

Visquis vestium splendorem quæris , cum
SIMEONE , si oculos habes , videbis ; si animum , etiam indues . Nempe cœnobium ingresso
cū adolescentulus nuper religiosâ veste indutus
occurrisset , vidi cælestem inter comitatum multo lumine insignem & Angelico habitu regiaque
coronâ exornatum incedere . Quare eandē dignitatē
cum IOANNE fratre tam diu ambivit , dum
uterque est potitus . Sed & Philosophum videsis
in uno SIMEONE geminum ; Heraclitum inquam
& Democritum , sed Christianum . Nemo alias
tam doctē aut flendo risit , aut ridendo deflevit
mundi insaniam . Nempe Emesam urbem ingressus
mortuumque canem fune trahens omnes pue-
ros post se , mox omnem civitatem traxit , fuitque
Sapientiæ Magistro risus , plausus , convitia &
verbera , merces , & ingens quidem nihil aliud que-
renti . Interea risum comitata sunt compluria mi-
racula . dæmones mali alapâ pulsi , cantu proscripti ;
carbones sive in pallio , sive in manu , innoxiosplen-
dorem virtutis prodidere . oculi sinapi , aceto , al-
lioque curati , hæretici & in famas mulierculæ sa-
perè à Stulto docti , qui scilicet jam oracula etiam
dabat . Et fuit cum flagello urbis columnas ali-
quāmmultas castigavit , illud addens : State : saltan-
dum vobis est , & ecce saltarunt illæ terrâ movente ,
sed steterunt cadentibus aliis . Pueros alio tempo-
re quamplurimos perbenigne salutans in ludo
sapplicavit pro his Magistro , ne cæderentur , quod
longum illis iter instaret . Et hoc eis nimirum mors
indixit paulò post per urbem grassata . SIMEONIS.

quo-

328 VITÆ S A N C T O R U M . 2 . Iulij.

quoque funus cùm paucili homines curarent, adfuere Angeli , &, lessum an epinicum ? cantarunt totius orbis Mimo. Sur.

Per Christum sensibus invocatus abjecta seculi hujus figurâ, formam tuam informam tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus eluceat, & cœlestis homo cœlesti habitu jam gradiatur in terra. S. Pet. Chrysol. serm. 110.

VISITATIO B. MARIÆ V. 2. Iulij.

R EDIBAT in astra Numinis ad MARIAM legatus, quem venturum terris nuntiaverat, celo venisse nuntiaturus. At VIRGO Deo jam plena vivendi ad cognatam Elisabetham studio in viam se dedit. Hanc monstravit, qui sub utero ivit comes, ingens MATRI, sed dulcis sarcina. Hic vite laborem temperabat, hic properantibus pedibus alas addebat, ut expeditior nunquam iverit MARIA, quam sic onerata. Iam sub aspectum mutuum venerant geminæ cognatæ, jam in amoris vincula brachia coiverant, cum gaudio gestiens in Elisabetha infans VEREVM in utero latens ex utero prodidit, jam cum vox clamantis. Tunc novo prodigio virginitas sterilitati, & sterilitas virginitati fœcunditatem est gratulata: tunc, quas texere Angelus cœperat MARIM laudes, pertexere Elisabetha, Domini Matrem salutare, quæ Ancilla venerat, super omnes illam mulieres efferre, ipsum cum primis laudibus in cœlum tam sancti uteri hospitem tollere. Itaque oraculis domus personata, VIRGO lætitia etiam ipsa exultans, quo Deum magnificaret, canere carmen, cui omnem palmæ vates concedent. Certè ut Superi delicati sint

(quip-